

I. N. F.  
DE

STATV  
ECCLESIAE AC REIPUBLICAE  
PROXIMO

ANTE B. LVTHERI REFORMATIONEM

IN  
GYMNASIO MERSEBURGENSI

DIE XIII. JVL. M.DCCXVII.

STATIM AB HORA SECUNDA POMERIDIANA  
PVBlice PERORABITVR,

& ad

ACTVM ILLVM ORATORIVM

SVMMOS GYMNASII ILLIVS IN-  
SPECTORES, PATRONOS atque  
FAVTORES

QVO PAR EST, CVLTV AC RITV  
CONVOCAT

ERDMANN VHSE, RECTOR.

TYPIS CHRISTIANI GOTTSCHIKII, Typogr. Aul. privil.



Magnifico Dno. Schachera, Juris Auctore bono  
Electissimo, cum salute et observantia mittit



Eatum nostrum Lutherum è Prophetarum imprimis atque Apostolorum scriptis divina autoritate confectis sapuisse, ipsius subinde editæ satis superque testantur confessiones publicæ: eundem tamen & quædam didicisse ex Husso, Hussum è Wiclefo, Wiclefum ex Waldo, nec eos quidem prateritis, qui primis tantum historiarum Ecclesiasticarum monumenta degustarunt labris. Qui fuerint quæve docuerint modo dicti triumviri, vel tribus innuisse sufficeret: cum

vero nec omnibus, vt confido, superflua sint nocitura, in chartam coniciere visum est sequentia.

*Petrus Waldus*, (aliis *Valdus*, *Waldo* vel *de Waldis*) ex oppido Waldo in Marchia Gallica (la Marche) sito oriundus, civis fuit Lugdunensis prædices, è mercatore factus Theologus circa medium seculi à Christo nato duodecimi. Is cum aliquando in nobilium quorundam virorum conventu inter confabulandum hominem firmi corporis subito corruere atque expirare cerneret, isto fragilitatis humanæ exemplo perterritus de emendanda serio cogitare cepit vita, & distribuitis inter pauperes divitis suis, iuste, definire nequeo, an iniuste collectis, ad legendum Codicem sacrum totum se composuit, eundemque initio quidem domesticis, & quibus familiaribus vacatur, postea vero plurimis, magno ad ipsum numero confluentibus, est interpretatus & in linguam sibi vernaculam, puta Gallicam, transtulit, facta cuius copia versionem suam describendi, id quod ex *Reinerio Sachono Placentino*, Waldensium primum promacho, deinde desertore & hæreticorum Inquisitore generali, qui anno MCLL. contra Waldenses calamum suum strinxit, discere licet. Illa occasione An. MCLXX. velum, contra Waldenses Romanensium fraudes involutæ fuerant, est detectum, populoque ostensum imperito, Ecclesiam Romanam à Scripturarum præceptis & dogmatibus omnino dissentire. Hicce divina veritatis testis Lugduno dein, cum tuto ibidem amplius vivere non posset, in Picardiam secessit, illamque fere totam puriore doctrina replevit, inde per Vandalicas civitates diu exul diversatus, postremo in Bohemia confedit. Aueto mox in inmensum discipulorum numero, Secta hæc ubique prævaluit, fatenteque ipso *Reinerio*, fuerunt, qui affirmabant, ipsam à Sylvestri, vel potius ab ipso Apostolorum ævo duravisse, nec vllam fuisse terrarum particulam, in qua non altas radices egerit. Waldensibus horrenda & detestanda ab hostibus suis affinguntur hæreses, quas chartæ huius non capit angustia; capita vero doctrinæ eorum exhibitamque ab ipsis fidei confessionem exhibet nobis illustris ille veritatis & amantissimus Historicus Gallus, *Jacobus Augustus Thuanus*, *Libro Historiarum XXVII.* qua declarant, se doctrinam veteri ac novo fœdere atque Apostolorum symbolo comprehensam amplecti, sacramenta à Christo instituta admittere, quibus abunde Christus dona sua, beneficia, opes ac thesauros cœlestes illis omnibus explicuerit ac contulerit, qui ad ea vera ac viva fide accederent, item quatuor vniuersalium Conciliorum decreta se venerari, Nicani videlicet, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonensium, nec minus Decalogi præcepta, quibus regula pie sancteque viuendi traditur, porro omnem à se ac suis coetibus iniquitatem eliminare, illicita periuria, diras imprecationes, contumelias, rixas, seditiones, crapulas, ebrietatem, scortationes, divinationes, sortilegia, incantationes, furta, vsuras, præstigia & id genus alia averfari ac toto pectore detestari: credere vero, supereminentes potestates à Deo institutas esse, quibus parere Deum vere timentibus necesse sit, & quarum quisquis imperium detrectauerit, eum cum Deo bellum suscipere. Quam sana, quam innoxia vtpurimum fuerint illorum dogmata, vita moresque, liquido ex iis patet, quæ recenset *Annus*

*Sylvius*, postea *Pius II. Papa*, *Histor. Bohemic. C. 35.* & *Thuano* atque *Aenea* antiquior supra citatus *Reinerius Sachonus libro suo contra Waldenses C. 4.* fatetur: Hanc Sectam magnam habere pietatis speciem, eo, quod coram hominibus iuste viuant, & bene omnia de Deo credant omnesque articulos, qui in Symbolo continentur, solummodo Romanam Ecclesiam Clericorumque blasphemare.

Proinde falsissima ipsis affinxit *Valetianus in Parallelismo hæreses Albigensium & Calvinismi*, *Parisus An. 1686. edito.* Quod veri Waldenses Manichæismo non sint infecti, docet *B. Jac. Thomæus* in peculiari tractatu, qui insertus est *Illustris eiusdem filii, Dni Christiani Thomæii Historia Sapientia & Stulticia, T. 1. C. 4. p. 44.*

*Johannes Wiclefus*, natione Anglus, in Septentrionali Insulæ parte natus, Philosophus atque Theologus insignis, Doctor ac sacræ paginæ, vt vocabant, in Acad. Oxoniensi Professor, constitutus etiam postmodum Ecclesiæ de Lutterworth in Provincia Leicesterensi Rector, claruit An. 1360. quo tempore ingravescentes ævi superstitiones, immanem Romani

Ponti-

Pontificis tyrannidem, erronea fidei dogmata in scholis passim recepta, & turpissimam vitiorum labem ab omnibus admittam à plerisque etiam defensam, voce ac scriptis acriter oppugnare cepit, præsertim vero regie potestatis atque Ordinis ecclesiastici iura contra horrendas Pontificis Romani & Fratrum Mendicantium usurpationes constanter pariter ac erudite propugnauit, tam insanam vtriusque ambitionem ac tyrannidem ex Ecclesia eliminandam esse, summa, qua pollebat, facundia docens. Ad hæc Christianæ fidei dogmata nativa atque minus fucata simplicitate plebi tradidit, & fabularum atque nugarum loco, quibus hæctenus fere seculis postremis inescati fuerant Christiani rudiores, S. Scripturæ oracula passim prædicans lingua vernacula populo legenda dedit: exinde ingentem apud bonos inuit gratiam, apud malos inuidiam. Nec minus apud plebem, quam Eduardum III. ac Richardum II. Angliæ Reges, supremosque Regni Ordines potuit Wiclefus, adeo, vt discipulos eius multiplicatos esse nimis, & impleuisse vbiq; orbem regni; quin & in tantum in suis laboriosis dogmatibus prævaluisse, quod mediam partem populi, aut maiorem partem sue Scellæ adquisierunt, conquerat Henricus Knyghton (de Eventu Angliæ L. 5. p. 2663.) Historicus coævus. Fufius id persequitur *Walsinghamus* in sua Historia, qui uillas ac ciuitates ipsamque Academiam Oxoniensem doctrina eius infectas esse dolet. Quin & ipsemet Wiclefus in *Confessione de Sacramentis Altaris Anglicæ* calce refert, fuis tertiam Cleri partem è partibus suis flare, doctrinamque suam summo capitis discrimine tueri paratos esse. Autoritatem suam in Angliâ labefactari ægre tulerunt Pontifices Romani, larvam sibi ereptam & detecta commenta dolebant Fratrumculi, quin & ipsum pietatis incrementum malis inuidiam commouit, adeo, vt innumera vndequeque mala in Wiclefi caput cusa esse neutiquam mirum uideatur. Varias Clerus ipsi intensus contra eum habebat Synodos, dogmata ab ipso propugnata hæreticos damnans, sceleratos eius aut ad palinodiam adigendo, aut in carcerem coniectos fuis multando. in ipsum denique acris animaduertendo. Sunt, qui Wiclefum in Bohemiam fecerisse, inuentaque ibidem amplissima simul ac fecundissima messe, doctrinam suam longe lateque propagasse uolunt, quod tamen parum est certum, certius illud, Wiclefum Lutterworthæ ex paralyfi An. 1387. die ultimo Decembris in pace obiisse. Post clarissimi huius Confessoris obitum in manes eius maxima infamia debacchati sunt Pontifici; Conclusiones eiusdem 45. partim hæreticos, partim erroris damnauit Concilium Constantiense, libros flammis comburi, ossaque sepulchro educta ignibus cremari decreuit, quod decretum Martini V. iussu executus est Richardus Flemynge, Lincolnienfis Episcopus An. 1428.

*Johannes Hussus* siue *Hussinetz*, qui cognomen tum hoc, anserem significans, à patria, Bohemiarum quadam uilla, in qua An. 1373. die 6. Julii natus, traxit, Professor fuit Academiarum Pragensis & Ecclesiasticæ in sacello Academico, Bethlehem dicto, ac Regina Sophia, Wenceslaci coniugi, à confessionibus sacris, uir eruditus uitæque inculpatæ & zelo diuino plenus. Ipsum antea nonnullis Ecclesiæ Romanæ erroribus fatis acriter fuisse addictum, eius loquuntur scripta, quin etiam Joh. Wiclefi, quem postea tanti fecit, libros primum improbauit: nam iuueni cuidam Bohemo ex nobili familia, quam *Purridi Piscis* uocant, oriundo, qui Oxonia in Angliâ literis dederat operam, & redux in patriam libros Wiclefi de *Realijs universalibus*, ipsi offererebat, fuisit, vt illos uel combureret, uel tanquam inutilem saburram in mare proiceret, ne Wiclefiano ueneno inficeretur. Sed abiit postmodum ab hac mente Hussus, miramque capiebat uoluptatem è dictis Wiclefi libris de *Realijs universalibus*, in quibus simul de Jure Ciuili & Canonico, Clero & Ecclesia agitur. Hosce libros An. 1407. ex Angliâ Pragam adportauerant Hussoque dono dederant duo Angli, alter *Jacobus*, S. Theologiæ Baccalaureus, alter *Conradus de Candelberg*, quos ipse cum discipulo suo dilectissimo, *M. Hieronymo de Praga*, euoluens magis magisque in doctrina Wiclefi, quæ in multis Waldensium congruebat placitis, est confirmatus, quod scilicet Papæ regnum sacrum esset Antichristianum, à quo Cleri & Ecclesiæ in omnes dimanasset corruptio. Huic etiam alii, occasione substracti in S. Euchariistica calicis, ad stipulabantur; igitur pro zelo suo Papatum publice impugnare cepit, ex quo maximi animorum motus Pragæ & in tota Bohemia excitati. Hussus cum sociis causæ bonitati confisus errores & abusus in Ecclesia Romana inolitos ac dominantes cum disputando tum concionando, strenue aggressus perrexit, sedissimam manifestando Ecclesiæ faciem, quam imprimis Cleri induisset uitio. Cum tandem Constantiæ, qua in urbe Imperator Sigismundus An. 1414. Concilium uniuersale indixerat, saluo, vt uocant, conductu instructus ad defendendam ueritatem cœlestem apparuisset, contra datam fidem, & quidem inauditum adrogum cum Hieronymo Pragensi fuit condemnatus, & An. 1415. die 6. Julii, natali suo, combustus. Paulo ante mortem, teste *Elacio in Catal. Test. Verit.* p. 850. ad Concilii Patres dixit: *Centum uoluntis annis Deo respondebitis & mihi*. Ferunt eum quoque

quoque dixisse: *Me anserem* (nam id in lingua Bohemica *Hus* significat) *assatis, sed veniet postea Cygnus, qui vobis aliquando melius cantabit, nec tamen assare poteritis.* v. Magnifici Dni Rechenbergii, *Patroni & Præceptoris mei ad vnam usque suscipiendi Dissert. de Job, Hüsso Martyre* §. 25. Atque hoc evenit, cum Lutherus Reformationis opus intrepide cepit feliciterque finit, cui Hüssi nomen fuit sanctum, inde *Tom. VII. Jenensii German. fol. 223. b.* scribit: *Es ist zu Costen verbrandt St. Johannes Huss; wir mögen ihn mit Ehren wohl heilig nennen, weil er auch weit nicht so viel verdienet, als wir.*

Hoc igitur ritu Waldus, Wiclefus & Hussus ante B. Lutherum Reformationis incubere operi, ipsisque Megalandrum nostrum multa debuisse, vix quisquam inciciabitur. Dicitur triumviri laborem istum plus quam Herculeum Luthero reddidere faciliorem, ad quem quoque aliquid contulit circa annum 1440. inuenta ars typographica, cuius tamen, cum iam sit remotior, impræfens habere nolui rationem. Sunt alia, quæ Lutheri reformationem propius tangunt, eamque partim requisiverunt, nempe corrupta doctrina, cultus diuinus, disciplina, Paparumque & Cleri mores; partim promouerunt, vt erectæ Academia Wittebergenfis atque Francofurtensis, excultæ per Joh. Reuchlinum linguæ orientales, per Erasimum Roterdamum literæ humaniores, & per Phil. Melancthonem tum linguæ, tum Philosophia ac Theologia, denique & sacra Biblia variis locis impressa. De quibus singulis, vt statum Ecclesiæ & Reipublicæ ante Lutheri Reformationem proximum repræsentantibus, ante instantis Reformationis festum seculare idque Jubilæum publice dicere conabuntur quidam Gymnasii nostri ciues, qui minime, canente Ouidio:

Ante Vacuales stantque sedentque focos,

fed libros nocturna versant manu ac diurna, & non minus Patronis quam Parentibus suis Venerandis cum diligentiam tum factos in studiis suis progressus probare satagent. Prodebunt autem hi genuini Musarum filii ordine sequenti:

**Johann Gottfried Hermenthal, Martisb.**

Prologi fungetur uicibus.

**Moriz Wilhelm Bennewig, Merseb.**

Aget de corrupta ante Lutheri Reformationem doctrina.

**Johann Gottlieb Gerhard, Martisb.**

Delineabit carmine Elegiaco cultum diuinum tunc temporis maxime corruptum.

**Johann Wilhelm Hermenthal, Martisb.**

Dicet de corrupta disciplina.

**Johann August Schwopé, Merseb.**

Depinget Paparum & Cleri mores corruptos.

**Johann George Wandrich, Merseb.**

Perorabit de erecta Academia Wittebergenfi.

**Johann Christoph Zinde, Merseburg.**

Stabilitam sistet Vniuersitatem Francofurtensem.

**Christian Polycarpus Leyer, Numburg.**

Johannis Reuchlini expendet culturam literaturæ orientalis.

**Johann Jacob Panisch, Merseburg.**

Erasmi Roterdami de literis humanioribus proponet merita.

**Johann Paul Sander, Leuenensis-Misnicus.**

Philippum Melancthonem vt linguæ, Philosophiæ & Theologiæ operantem considerabit.

**Johann Ernst Philippi, Dresdens.**

Prædicabit sacra Biblia eo temporis tractu typis impressa.

**Christoph Heinrich Kömmer, Hettstadiensis-Mansfeld.**

Epilogi instar colophonem actui huic addet.

Intersint, humillime & peramanter contendo, exercitio huic oratorio singuli, qui Reformationis morantur opus; quibus uolupte est, iuuenum promouere studia; qui rei bene cupiunt scholasticæ; quibus non inuidet conatibus, persuasi, me fauoris huius & benevolentia nunquam fore immemorem. Scribebam Merseburgi die

XII. Jul. M. DCC. XVII.



ad hunc Reformat.

FR. 47.


29

II  
2065

1

I. N. 7.  
DE

ATV  
ACREIPUBLICÆ  
OXIMO  
HERI REFORMATIONEM  
IN  
MERSEBURGENSI  
I. JVL. M.DCCXVII.  
RA SECUNDA POMERIDIANA  
LICE PERORABITVR,  
& ad  
LVM ORATORIVM  
MNASH ILLIVS JN.  
S, PATRONOS atque  
VTORES  
R EST, CVLTV AC RITV  
CONVOCAT  
N VHSE, RECTOR.  
I GOTTSCHIKII, Typogr. Aul. privil.



Magnifico Dno. Schachera, Juris Antecessor  
Electissimo, cum salute et agerantiam...